



Cerastus

De beanorum affectibus



542, 11.

705.

II g
929

THEMATA MEDICA
DE
BEANORUM, ARCHI-
beanorum, Beanulorum & Cornu-
torum quorumcunque affecti-
bus & Curatine.

Ad quæ Præsidente

ADMODVM PRAECELLENTI ET EX-
quisito Cornelio Cerasto Cornano Medico &
Cheirurgo Regio Beanorum

Respondebit

CAROLLINVS TEVETIO CRVFENAS.



CORNANÆ

Typis VVOLPHGANGI Blasius Horn.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(MALE)



BEAUNORIUM ARCHI

beunorium Beunolotum & Cornu-
totum prout in quibus
bus & Curia
Ad prout
AD MODUM
quibus
H. P. P.
C. P. P.



CORNIAE





DEPOSITORIBUS. ET. BEANO-
RUM. CHIRURGIS. S.

I.



UM hoc symptoma priscis se-
culis ferme ignotum jam indies
magis divulgatur, pluribus et-
iam adhuc Medicis ignotum
malè curetur, ita ut ægri sæpè
succumbant, aut peiores reci-
divas patiantur: Operæ preciū
duximus, ob publicam utilita-
tem, ea quæ in praxi jam aliquot annis observavi-
mus, hoc loco proponere, ut tam foedæ luis accu-
rator pateat natura & curatio.

II.

A nomine ideòq; rem auspicabimur. Vocantur
hi patientes Latinis, ut Ciceroni & Quintiliano
Beani, Beanuli, & Archibeani & à primario sym-
ptomate Cornuti, licet distincturi simus in pro-
gressu sermonis. Germanis Bachanten / Pennal /
Janip / Behörnte / Wilde / quod vix cicurari possint,
Geschossene g Eseln. Græcis ἀστυ, licet hoc nimis sit
generale. Hæbreis חֲבֵנִי. Nos autem Gram-
maticis vocabula linquentes, ad pugnam tam sevi
hostis properamus.

III.

Beanismus hîc definiri potest, quod sit sympto-
ma actionis depravatæ facultatis principis à pa-
rentum semine & mala educatione, vel utrisq; or-
tum ducens, & cornibus extra cranium exeuntibus
se prodens.

IV.

Et licet multiplex sit hoc symptoma & variè di-
vidi possit: optima tamen divisio est, in ARCHIBE,
ANOS, BEANOS, & BEANVLOS.

V.

Archibeani sunt in quibus malum planè in ve-
teratū, & cornua habent plurima, maxima, foedi-
coloris, emedullata, tetrum odorem exhalantia,
inæqualia, ramosa, dura, aspera, quadrata, nigri-
cantia, liventia, longa, curva, & dicuntur POLY-
CORNES.

VI.

Beani mitiora quodammodo habent acciden-
tia, cornua ut plurimū bina, eaq; media inter utro-
que liventia aut flaventia, aliquid habentia medul-
læ, & dicuntur BICORNES.

VII.

Beanuli cornu Unicum saltem habent satis acu-
tum, in medio plerumque frontis, duorum aut triū
cubitum, idq; molle, glabrum, rotundum sim-
plex rectā sursum tendens, subflavi coloris, parum
foetens, copiosæ medullæ, &c. & hi appellantur
MONOCEROTES.

IIIX.

De loco affecto in primis sollicitos nos asse o-
portet.

portet, nam frustra aliàs in curatione sudabimus: est autem is cerebrum potissimum, & quidem membrana ipsius dura mater, quæ inde nomen habet, ubi etiam plerumq; definit, licet ad radices oculorum quandoq; pertigisse referat Doctiss. D. Cajus Cornarius in sua praxi nondû edita fol. 2036 51 26. Qui quoque suspicatur corneæ tunicæ inde nomen migrasse.

IX.

Causæ huius affectus multiplices, Aër sylvestris & obscurus, qualis est in scholis particularibus, ut sunt Lavingana, Lyncensis, &c. Item Dölpelhusensis, Bubendorfensis, Stockfischhusensis, Pickelharingensis, aliquib⁹ in locis Bavariæ, Sueviæ; & adhuc Misnæ, Grimæ & Portæ, Item Halæ, Magdeburgæ, Brunsvigæ, Hildesæ, Amstelrodami, Stetini, Lubecæ, Bremæ, Padelbornæ, Sawfurti, Stierfurti, Hassfurti, Servestæ, Breslaviæ, Ambergæ, Nabburgi, Düsseldorfij, Ultrajecti.

X.

Apud varios variij cibi in causa sunt, & quidem ij qui crassum imò crassissimum generant succum, ut carnes animalium cornutorum, asinorum, asellorum marinorum panis item scholasticus, caseus putridus præsertim der Hasenkäse den die alten Weiber verkauffen, fabæ & legumina reliqua, unde perspectus Pythagoras suos discipulos arcebat à fabis, cerevisia crassa, &c.

XI.

Motus etiam hîc recensendus. Nam videmus eos qui vagantes, cantantes, cursitantes, vocife-

rantes, balantes, baechantes, clamitantes, vorantes, potantes, iugurgitantes, mendicantes, hiantes, bonantes, in curta tunica saltantes, nullum angulum intactum reliquunt, hoc malo potissimum detineri, Urgeri, torqueri. Sic è contra, qui in claustris, carceribus, cellis, ergastulis, angulis, cameris scholasticis tanquã pistrinis, mille repagulis, compedibus, vincti, catenati, ferrati, ligati, servati, ob inopiam aëris purioris in hunc affectum prolabuntur, aut prolapsi confirmantur.

XII.

Somnus & hoc loco aliquid potest. Qui enim exijs glires agunt, magis divexantur, ut noctu hiantes, ronchantes, sternutantes, furzantes, cacantes, schnarchantes, &c. Hiantibus præsertim magis periculi subest, noctu enim animalcula ut cimices, pulices, culices, tineæ, vespertiones os intrantes, irreptantes, permerdantes, & mentem perturbantes, divexantes, subtile serum exiccantes, & mala alia excitantes, misellos hosce a fellos misellè excruciant, & dilaniant. Idem quoq; de vigilia esto iudicium.

XIII.

Excreta & retenta suum quoque in hoc affectu locum habent. Dum enim pulverem scholasticum absorbent, deglutiunt, imbibunt, attrahunt, retinent, coquunt, assimilant, apponunt, magnum cornibus fulcrum addunt, ita etiam bono quoq; alimento excluso & excreto foeces sibi reservant, & sui infortunij authores existunt. Ex pathematis sunt ira beanina, timor für den wilden Großvattern
vnd

vnd für den schliffeln ut & virgis & alapis des grossen
Schulfuchses / qui Archibeatorum omnium est
pater, avus, abavus, atavus, proavus, vhz / vhz / vhz
groß Altvatter vnd Rabbi, Khimmel. Pavor, moesti-
tia. horror, rigor, perturbatio mentis, frustrati-
amores, quis sequitur Desperatio asinina.

XIV.

Proxima causa est lac maternum, mala educatio,
Unde crassi exhalantes fumi mentis sedem occu-
pant, quos dum frustra natura expellere conatur
tandem in duram & corneam substantiam con-
vertens eam extra cerebrum foras protrudit.

XV.

Signa. Primo prodit se intuitu Beanus, cornua
enim gerit satis manifesta & cōspicua extra pileum
protuberantia, pulsus ipsi magnus, vehemens, ce-
ler, dur^o, plenus, frequens, inēqualis inēqualiter,
bis vel sepius feriens, ferratus, caprizans omnium
frequentissimus apparet. Urina crassa, turbida,
cruenta, foeculenta instar jumentorum cornuto-
rum, plurima, foetida & graveolens, rubra imò e-
tiam nigricās, vel viridis, spumans, in qua volitant
ranæ, cantharides, lacertæ, vespertiliones, scorpi-
ones, subsident spectra, capripedes, capræ saltan-
tes, dracovolans, grandines &c. Inveniuntur etiā
ramenta cornuum, capita leporina, flatus retenti
sursum tendentes, nolæ quæ pugni magnitudinem
fermè æquant, & id genus alia tonitrua: torvis tu-
etur oculis, juxta illud torva tuentibus hircis.
Frons ipsi Simiæ aut Asini, cappilli redi, rigidi
crassi, wie ein Pfeñigstricke / impexi, qui findi possūt
in

in 4. 5. 6. 7. & plures partes: caput quadrangulare, nigricans, exustum, calidissimum, durissimum, distortum, acutum, os hiulcum, instar proboscidis elephanti, dentes aprini, exerti, prominentes, præ longi, crassi, oculi cyclopici, aures leporinæ, surdæ collum picis instar niveum, barba aut nulla aut schustralis, inculta, squalens, horrentibus aspera dumis, nares curvæ, aquilinæ fumpffig wie die schaaß nasen / spirantes avernum, exhalantes Mephytim: facies planè Aesopica, Therfitica, Marcolphica: corpus deniq; totum

Monstrum horrendum, in forme, ingens, cui lumen ademptum.

XVI.

Signa alia moralia maximè hîc notari debent: incessus ciconialis secundum tabulaturam Belgicam, hinc inde nutas & ista & ista domus mea sunt iunuens, gradus grallatorius, interdum testudineus vel formicimus interdum velocissimus. Pallium etiam habent ægri ab Uno latere dependens, quando domo exeunt pallium non statim applicant, sed postquam jam aliquot stadia vel jugera fuerunt emensi, de brachio, in quo instar virginis puerum recens natum baptismo deportantis, antè gestarunt, deponunt, & scapulas suas latas, ventre sesquipedem exstantem, abdomen infaturabile, turgidum, inexplebile tegunt. Pallijs se quandoque inuoluunt, seu subcingunt in primis cum ex Gallijs veniunt, vel in nundinis Francofurtensibus Gallum viderunt. Ligulas circa collum pendentes aëri exponunt. Oculos habent Uranoscopi, manus gesticulatio-

culationes histrionicas exercentes wie andere Fa-
belhansen vnd cornuti Bettern / vociferationibus,
coaxationibus, mugitu, rugit, grunitu, gannitu, bo-
atu, balatu latratu, ceurustici tēulenti implent om-
nia, templa, plateas, ædes, hospitia, cubicula, popi-
nas, latrinas, fana, fora, quatuor mundi Elementa,
imò coelum, infernū & purgatorium, Limbū San-
ctorum Patrum, summo quasi Iovi & Plutoni in-
sultantes. Canum etiam instar ipso meridie quem-
vis murum permingunt, præclari Diogenis Cynici
imitatores, O MORES! O RES!

XVII.

Nimis adhuc parum diximus, ipforum mode-
stia planè est immodesta, gregatim volant ut grues,
catervatim discurrunt ut sues: mores ipforum in-
mensa horrores aliorum, canini, vola utraq; illota
(nam certis anni temporibus pro sua devotione
& superstitiosa religione lavant manus) pro co-
chleari utuntur: os cibis & bolis in farctum & gra-
vatum clamitationibus distendunt, quasi essent in
balneo, muscas carnibus, caseis, panibus & pati-
nis infidentes, veluti Iustitiæ cultores singulari
dexteritate ipsis solummodo propria, Cyclopicè,
miserabiliter, horribiliter, immaniter, crudeliter,
truculenter, fraudulentè, inhumaniter iugulant,
decollant, excruciant, exenterant, exossant, truci-
dant, dissecant, discindunt, diffindunt, diffrin-
gunt. Utroque cubito tanquam firmis fulcris, aut
Herculeanis (plus ultra) columnis innituntur,
perforant orbis, quadras, cochlearia, boream
naribus spirant, diductis hinc inde labijs reso-

B nando

nando vorantes sives Bavaricos & Bohemicos imitantur; Et ad summam, deglutiendo tantam molem absumunt, ut si nova comparemus antiquis, ipsum Milonem Crotoniatem oporteret manere domi.

XIIX.

Doctrina pollent tam excellenti & multiloqua, ut in minimo ne cedant antiquis veteres Philosophos licet nunquam viderint tã exactè tenēt, ut quamvis tyrones cum emeritis tamen pugnare aufint. Idem de reliquis esto iudicium. Tot compendia, tot methodos, tot deniq; inveniunt nova, inaudita, inusitata, mirabundria, ut antiquitatem obscurare videantur. Sed interim tamen perpetuas lites agunt cum Prisciano & Aelio, proh DEUM:

*Non mihi si lingua centum sint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes Bacchantum scribere formas
sufficerem.*

XIX.

Amant quin etiã, quod mirum: an amentur, dubitamus satis, Interim tamen acquirunt aut quærunt potius amorem varijs modis, inter quos.

*Cythara schustralis, est omni temporata talis:
Qualis Bacchantum, magna cum voce belantum.*

Insuper canunt ad numeros & saltant per plateas, tantummodo cum Beanis conversantur, similis enim gaudet simili, secundum versum:

Corinna

Cornua fer tecum, si vis colludere mecum.

XX.

Ne cornua omnibus appareant, pileum, tametsi honestum virum prætereant, non detrahunt, si ab alijs detrahatur, ille modicè extrema tangentes cornibus suis parcunt & gravitatis Beanicæ specimen edunt. Imò magis fugiunt honoratum virum quam Diabolus, quod ajunt, crucem, & aquam lustralem, aut annosam vetulam.

Cum diutius hæserimus in signis, prognostica breviora faciemus. Sciendum itaq; Archibeanos esse incurabiles. De Beanis rem esse lubricam; Beanulos autem bene curari posse. Incipiunt autem cornua foras exire circa tempus pubertatis & post vigesimum primum vix eradicari possunt.

XXII.

Et ne quis ridiculum existimet symptoma hoc incurabile esse, afferem⁹ aliquot historias, quæ extant apud supra citatum ornatiss. doctiss. & fide dignum Cajum Cornarium Centuria curationum 28. lib. 99. fol. 2 163 895 120.

XXIII.

Primus patrum monstrorum memoria vixit Lobedæ, ibidem scholæ minister, laborans hoc affectu, qui à Medicis omnibus pro desperato relictus miserè obiit, cuius hoc extat

Epitaphium.

B 2

Hens

*Heus tu qui prateris, gradum
Siste, considera fatum
Nefandum, miserabile
Durum, inexorabile*

*Iohannes quæ ins mus genant
Qui natus est in Hörnerland.*

B. ANNOS. XL. M. II. D. V. VIII.

⊙ ANNO M. DC. LI. VI. IULII.

XXIV.

Extat & aliud Lavingæ cujusdam, qui post mille dolores miserè obiit ob putrescentia cornua & vermium in cavitate ipforum multitudinem enatorum, hoc modo:

Hier ligt begraben Käß vnd Brodt/
Den hat ermördt der bitter Todt/
Dieweil er glitten grosse Noht/
An seinen Hörnern ohne Spott/
Sie seind gewesen ganz Blutroht/
Vnd haben gestuncken wie ein Roht/
Darzu gwogen wol tausend Loht/
Dem wolt ghenaden der liebe Gott.

XXV.

Hoc nuper cuidam positum est:

B E A N E.

QVI. PRAETERIS.

LEGE.

ET. FRATRIS. FATVM.

DOLE.

ARCHIBEANIS. S.

Natura

Natura quæ protulerat
Solers, & mihi dederat
Cornua, non volui
De ponere, sed renui
Opem iuvantis Medici
O miser & me perdidit
Post putrefactis cornibus
Et intus natis vermibus
Summo dolore perij
Cave Lector, cave tibi
Nunc mortuus hic jaceo
Exemplum, quamvis taceo
Rogo, velis de ponere
Ut releveris onere.

XVVI.

Meminimus quoq; nos legisse hoc Epitaphium
Kerarii Archibeani, Herbornæ in cœmiterio
Cornutorum:

Si non fuisset arrogans
Et Cornuum perper amans
Non essem esca vermibus
Et mortuus cum cornibus
Quare quicumq; præteris
Si ictum hominem sequeris
Ne cornu rogo teneas
Et sicut ego pereas.

B 3

Hoc

XXVII.

Hoc præterita septimana mihi missum ab amico, positum est cuidam verè mortuo in gymnasio Stetinensi, Brennenfi.

*Hic conditur Tremellius
Cum grossiculo nasiculo
Superbus decem cornibus
Quarato conditorio.
Nam qui quadratis cornibus
Quadrata fronte & pedibus
Quadrata lingua & auribus
Et qui quadrato ore
Et qui quadrata voce
Quadratis adest veremibus
Abi homo vidisti mirabundria
Si te manes quadrati audiant
Quadratis cornibus te pro jiciant.*

XXIIX.

Ut igitur his omissis ad curam nos convertam⁹, tres hosti phalanges objiciemus, Diætam, Pharmaciam & Cehirurgiam.

XXIX.

Aer eligendus purus, subtilis, lucidus, à Beanorum sylvis, collegijs, latibulis, antris, casis, tugurijs valde remotus. In primis laudatur ille qui est Ingolstadij, Helmstadij, Ienæ, Lypsia, Marpurgi, Heidelbergæ, Francofurti, Colonia, VVitebergæ & simi-

& similibus in locis. Huic aëri, modo consultum
sibi velint, aliquot annis a vescant, necessum est.

Cibus sit tenuis, concoctu facilis, in primis me-
dicamentosus ut inferius in Pharmacia dicetur,
poterunt etiam singulis diebus ter propinari ur-
sæ, item canes villosi, morosi, rabiosi, ut molof-
sus, Hylax, lycisca, artocreati ex farina fuliginosa
subacto inclusa. *Oder den Eulenspiegel in einem
gälben Brüte.* Potus parcus, vinum aquosum, lau-
rum, coventum, rastrum, *Zuncker / Guckguck / Püf-
sel / Klappit / Blatsch.* Notetur hic verficulus
Lips.

Ayn Topff, scherpentum, Zwen rastrum, spanq, coventum.

Aqua in qua caudæ murinæ, aures leporinæ,
podex atque unguis asini sunt decocta. Vino
primo anno curæ omnino abstineant; sub finem
primi & in eunte secundo confortationis loco in
prandio parum concedatur. Tertio mediocriter
admittatur. Nam non convenit ipsis antequam
corpus à cruditatibus scholasticis sit benè purifi-
catum, beanos enim.

Vina parant asinos, faciuntq, hos sustibus aptos.

XXXI.

Somnus, vigilia, motus & quies mediocria om-
nia.

XXXII.

In excretis & retentis maximè studeant Reten-
tioni, taceant scilicet, audiant studiosos, silentium
Pytha-

Pythagoricum observent, nec quicquam nisi bene
noverint, effutiant & excernant.

XXXIII.

Pathemata animi fugiant supra dicta. Conceduntur ipsis humilitas, humanitas, observantia erga Studiosos, discendi studium, & diligentia. Obtrectationes & objurgationes aliorum modestè audiant, & secundum has vitia sua paulatim emendent.

XXXIV.

Tria proposita nobis habemus, subtractionem humoris morbifici, ablationem cornuum & denique confortationem cerebri. Quod ut melius assequamur, crassos primum attenuabimus & præparabimus humores ut syr. de axungia rotæ, syr. de specillis, syr. de sagittis, syr. de falce messoria, syr. de novacula, qui omnes in nostris officinis præparati habentur. Imprimis autem convenit syrupus de multiplici infusione fustium, simplex vel qui melior est compositus, qui aromatizetur clavicularis ferreis. q. s. Exhibeantur cum decocto ferularum, Brusci, paliuri. Herbae post coctionem, vel quod melius, recètes capiti arctissime applicentur & alligentur, habent enim singularem vim in digerenda materia crassa & emolliendis cornibus. Doses syruporum pro Medici judicio ad ægri tolerantiam augeri minuique possunt.

XXXV.

Purgabitur optimè materia præparata pilulis de baccis ovinis, asininis, globis equinis, suillis, quadris vaccinis, de dumis, fustibus, rastris, vomere,

mere, bidente, tridente. Pilulæ quæ ore saltem re-
tentæ vehementer & mirè purgant ex præsegmi-
nibus vngularum equinarum, corij, stercore co-
lumbino, anserino, felino, canino, &c. Vetera-
menta & corrigia calceamenti trohiscata. Com-
mendantur præ reliquis pil. de ligno buxi, pina-
stri, Ilicis, abietis, tornentur ad magnitudinem ju-
glandis, deglutiãtur singulis mane numero xxxv.
plus minusvè. Si æger aversetur, conchylijs in vo-
luat, aut visco obducat, asperso pulvere nostro
cordiali, de quo alibi diximus.

XXXVI.

Generalibus præmissis speciales succedunt eva-
cuationes, quæ fiant Errhinis, sternutatorijs, nasa-
lijs, Apophlegmatismis, masticatorijs, ex ficibus
equinis, radice liripipij, radicibus a b c d, cranio
equino, aut asinino, caudis murinis, glirinis, bo-
vinis, vaccinis, leporinis, ovinis, felinis, cervinis,
caprinis, cancrinis, mustelinis, leoninis, cameli-
nis, elephantinis, talpinis, agninis, aprinis, ariet-
inis, caballinis, hircinis, hędinis, lupinis, vulpinis,
porcinis, taurinis vervecinis, ursinis, vitullinis. I-
mò & rostris avinis, accipitrinis, aquilinis, anati-
nis, anserinis, columbinis, corvinis, cuculinis, fi-
cedulinis, graculinis, gruinis, gryphinis, meruli-
nis, milvinis, palumbinis, pardalinis, passerinis,
sturninis, vulturinis.

XXXVII.

Nec parum laudantur gargarismata ex deco-
ctione albi græci, medullæ intestini recti anima-
lium ruminantium, ut vaccarum, boum, &c. De-
C coquan-

coquantur ad tertias, dulceretur felle Iucij Piscis,
murens, canis marini, hyppotami Indici.

XXXII.

His ita peractis in revulsionibus magna spes
posita est, quæ fiunt compedibus, verberibus, vir-
gis, alapis, pene bovis exsiccato & subula bene
longa condito, Mit etnem Schensfüsel/flagellis, fu-
stibus, laqueis nauticis, clavis Herculeanis, rastris,
venabulis & similibus ingenijs, quæ prudenti Me-
dico committimus.

XXXIX.

Cornua iam antequam eradicantur emollienda
erunt, quantum fieri potest, medicamentis emol-
lientibus, quorum quædam supra recensuimus,
præsertim commendatur penis bovinus supra di-
cto modo præparatus, & ante cibum, vel etiam sæ-
pius applicatus summa vi & industria, vicem quo-
que eius supplere possunt mallei majores fabro-
rum, ligna decem pedes longa, quatuor crassa, cingu-
la ferro aromatizata, libræ tres quatuorve plum-
bi filo crasso ad pensæ & adplicatæ &c. poterit etiã
caput incudi submitti aut prælo includi ad horas
5. aut 6. Pileolum seu cucupham si ad hiberi opus
fit, fiat ex 90 aut 100 libris plumbi, intus obduca-
tur pelle hystricis aut erinacei, applicetur singulis
mane per horas 3. aut 4. æger abstineat à somno,
laboribus, & domi maneat nec sedens, nec jacens,
sed stans potius, vel cubito innitens.

XL.

Er jam tempus acerrimū agredi hostem. AEgro
manibus post terga revinctis ut & pedibus, caput
inter

inter binas antennas tam arctè collocetur, ne id
movere possit, cui genibus nitenti debita ratione
Cheirurgus ferra primo majores ramos, dein do-
labra & lima si opus sit, reliquias auferat.

XL I.

Si vero possit, quod melius erit, ablata pelle &
nudato cranio, forciper radices funditus extrahat,
vel aqua forti absum faciat, ne quid reliquum
maneat, quod vicissim expullulare possit.

XL II.

His peractis ferramento candente, si malum in-
veteratum sit radices perurat, ne recrescant, salem
sapientiæ ori imponat, habet enim hic mirabilem
virtutem & prohibet, ne radices putrescentes ce-
rebro noceant, putrefactas quin etiam fortiter ex-
pellit & naturam pristinae restituit integritati: cui
adjungi quoq; debet vinum capiti infusum, quod
eadem facit.

XL III.

Hoc loco annotandum est, quibusdam etiam
maximum dentem, Beaninum dictum, molestum
esse, qui easdem habet causas & naturam ut cornua,
quem simili modo dexter curabit Cheirurgus.

XL IV.

Post ablationem in lecto collocetur æger, urticam
Romanam strato, in quo jejunus quiescat p 46 dies,
& singulis diebus quater lectus mutetur, pelle asi-
nina diligenter tegatur, capite leporinis exuvijs
in futo, sudor ipsi provocetur loris, hasta regia, &c.
Amuleti vice ad collare nolis refertum maxillæ
asini, equi, cameli, Rhinocerotis, oder ein par Laster-

stein appendantur. Hæc enim' singulari antipathia:
hoc symptoma longè propellunt.

XLV.

Cum vero rarò, imò nunquam planè auferri
possit, præservativis opus erit ne revertatur affe-
ctus. Miris modis prodest theriaca Beanorum,
quam descripsimus in nostra practica majori, quæ
singulariter pugnat cum affectione, quamhorta-
mur ut omnes pharmacopoei in suis officinis ob
maximam necessitatem paratam habeant. Pro-
derit quoq; album Græcum trochiscatum, confe-
ctiones ferularum & roboris quercini, condi-
ta cotis & silicis, morselli ex aloe, colocynthide,
diagridio, asa fætida in tabulis &c.

XLVI.

Conclusionis loco Empiricum hoc adjiciemus,
quod celeberrimus Rabbi Moises Caldeus & Ca-
ballista, in Asia, Africa, Europa & America in
multis hominum millibus probavit, quod medica-
mentum facit ut nunq; recrescant cornua, quod
gratis communicamus misellis hisce Afellis, est
autem tale:

℞ Saburræ ℥ xij.
Mercurij sublimati ℥ x.
Squamæ aeris
Fuliginus Caminiana ℥ viij.
Balsami Beanorum ℥ vj.
Scarabæorum
Locustarum
Cansharidum
Cimicum ana ℥ iiij.
Vitri Veneti pulv. ℥ ij.
Fungorum ℥ j.
Diagridij ꝑj. & G. ij.

Minister patientis.



Opy

Opij
Cicutæ ana ꝑ j.
Gypsi
Auripigmenti ana G. j ꝑ.

Comminutis comminuendis.

R. Fœturæ Ranarum
Axungia rotæ
Visci ana q. 5.
Misc. F. Electuarium

Signetur Bachanten Latweg.
Dosis cochl. xxvij.

Singulis manè ventriculo jejuno
decem horis antepastum sumatur.



C O R O L L A R I A.

I.

AN hic affectus etiam cadat in sexum fœmininum?
A. licet rarius eveniat, teste Hipp. Aph. 26.
sect. 1. Cal. 15. Meth. c. 3. Talicotio lib. 6.
quæst. Cheirurg. quæst. 17. Ratio in promptu est, quia
cum hic sexus sit habitus mollioris, & calorem habeat
mitiorem, materia non potest in tantum indurescere, nec
calor eam per durissimum Cranium os expellere: faciliori igi-
tur via onus hoc ad mammas ablegat, & reliquias menses
expellit. De quare latius in praxi nostra egimus, quo le-
ctorem ablegamus.

D 3

An

II.

An in hoc malo sit vena tundenda. N. Ob summam cacochymiam. Si tamen adsit plethora in phlebotomia locum succedent, hirudinum more, Basilisci, vipera, scorpij, colubri, hydra, lacerta, dracones, bufones, cecilia, salamandra, & Similia applicata. Fiant autem hæc in existente in Sphæra octava ad præsepe asselli cum ♂ aut ♀.

III.

An cornua resecta usum habeant. A. Primò in Medicina. Preparata enim ad modum Cranij humani, pul verisata & Beanis paroxysmi tempore ad ℥ j. ꝑ. administrata, sudores egregiè promovent. In Archibeanis ubi res est desperata, singulis mane sumpta cura palliativæ vicem gerunt; Beanulis condimenti instar præscribuntur. Si quoq; mater tempore gestationis & lactationis frequenter hisce cornibus utatur, fatum ab hisce planè immunem enitetur: ut enim scorpius sua plaga est remedium, ita etiam singulari antipathia cum affectibus Cornutis pugnare hæc creduntur, teste Alberto Magno in secretis. Deinde habent alium quoq; usum, fiunt ex hisce, dentium, aurium, & linguarum scalpella, manubria, cultraria, amuleta, pocula, annuli, arcus, siphones, globuli, lagena, inductoria, Titens fasser / Pinal / Standbüxen /c. Omnia Beanorum utilitati accommodatissima, quæ judicio industrij artificis relinquenda ducimus.

IV.

Ad definitio hæc sit perfesta, Beanus Est Animal Nesciens Vitam Studiosorum? Aff.

V.

In quo prædicamento reperiaturs Beanus. R. in omnibus, quia est super omnia & transcendens.

VI.

*Cornua Beani & alius cornuti Animalis ad differant
specie? N. Coll. Conimb. c. 6. quest. 7. art. 8. §. Beanus.*

VII.

*Possuntne etiam homines dici? Respondetur posse, sed
improprie & late sumpta significatione, eodem modo quo
mantaci, phrenetici & stulti, homines dicuntur, in quibus
tamen ratio, qua homo à bruto differt, planè occulta imò
sepulta delitescit.*

IIX.

*Vtrum debeant admitti ad conversationes studiosorum,
& hic utiliter quaritur. Resp. distinguendo. Qui enim
curabiles sunt, & jam sub Chirurghi fuere manu, cur non
admittatur? Imò cum magna ipsorum fiet hoc utilitate,
Incurabiles autem ablegentur ultra Garamantas & Indos,
aut ad Aethnaeos fratres, quibus in ferendis carbonibus
usui esse possunt. Nihil etiam in his tentandum auxiliij, ne
praesidia diffamentur, quæ multis fuere saluti.*

TANDEM. VOS. QUI. FELICI. MANV.
HVMANO. CONSVLITIS. GENERI.

ET. PRÆCLARA. METAMORPHOSI. EX.
VRSO. APRO. TIGRIDE. LEONE. A.
SINO. IMO. QVAVIS. FERA.

HOMINEM. EFFORMATIS.
IMPENSE. ROGAMVS.

VT. CANICVLARES. HOSCE. SALES,
BENIGNE. ACCIPIATIS.

BEANVM. TE. AVTEM. HORTAMVR.
QVI. HÆC. LEGIS.

VT.

VR. E. IOCIS, SERIA, ADDISCENS,
MENDAS. EMENCES. VITÆ.

ET. BEANINIS. DEPOSITIS. EXVVIIS.
STUDIOSO, INDVARIS,

SIC, TIBI. DEMVM. NOSTRA. HÆC.
VERE, PLACEBUNT.

SIN. MA VIS.

TVO. PERICVLO. BEANVS. SENE-
SGAS. LICET.

ET. AD. GRAECORVM. II. ACTAEON.
ABEAS. Zum Sauerbrunnen.

V A L E.



ULB Halle
004 764 110

3





Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

